



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quid sit mutilatio, & qualis irregularitas ex ea contrahatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. IV.

*De homicidio contingente in bello,
& irregularitate ex eo proveniente.*

Qui in bello injusto pugnantibus cooperantur, qualescunque auxiliū ferendo, arma præbendo, adhortando eos ad pugnam, sarcinas militum custodiendo &c. sunt irregulares, si vel unicus occidatur, & ipsi proprijs manibus non pugnaverint *can. Si quis. 4. dist. 51. c. sicut dignum 6. §. final. b. r. & c. Quod in dubijs §. juncta glossa v. incitant. de pœnis.* Cùm omnes ista velut una causa moralis, ad occisionem occisi concurrant. Qui vero laici in bello justo pugnant, aut taliter pugnantibus cooperantur, si bellum merè defensivum sit, ad patriam suam, suam, suorumque vitam, & magni momenti bona, defendenda &c. non incurrunt irregularitatem, quamvis plures occidant, cùm ob necessariam defensionem hæc talia fiant, quæ si privatis personis licita est, etiam cum occisione injusti invasoris, modò moderamen inculpatæ tutelæ non excedatur, ut dictum, longè magis erit talis necessaria defensio licita contra injustum aggressorem, si publicâ auctoritate fiat. Dixi Laicis hinc non imminere periculum irregularitatis, de Clericis enim dubitatur, si propriâ manu occiderint alios, etiam justæ defensionis causâ, propter *c. Petrus 24. h. r.* ubi dicitur, ut si de interfectione cujusquam in illo conflictu, defendendæ patriæ causâ, suscepto, conscientia illum remordeat, ab altaris ministerio (ut irregularis) abstineat, cùm in hujusmodi

dubio, ut ait Pontifex, consultius abstinere, quàm temerè celebrare, quamvis enim in tali bello, alio ad pugnam hortari possint, tamen in propria persona pugnare non possunt, nisi plura jura *causa 23. q. 1. ult.* exceptio necessitate omnio inevitabili. Si tamen bellum sit justum quidem, sed tamen offensivum, sive aggressivum, irregulares sunt, ex defectu perfectæ iustitatis, qui proprijs manibus alios interficiunt, ut probatur ex *Can. si quis 4. juncta Gloss. v. militaverit. dist. 11.* qui sunt quasi Ministri iustitiæ, & quamvis dent operam rei licite, tamen tunc proxima causa homicidiorum talium, qualis proxima causa non tunc adhortantes tantùm ad bellum tale, aut alio modo, sine occisione tamen aliorum cooperantes.

SECTIO V.

De Mutilatione, & dispensatione in prædictis de irregularitatibus.

§. I.

Quid sit mutilatio, & quæ irregularitas ex ea contrahatur?

Mutilatio propriè dicta, non est vulnere, aut sanguinis effusio, vel partis alicujus abscissio, sicut v. g. cartilaginis auricularum, &c. sed amputatio membri alicujus, ita tamen, ut membri nomine, in ordine ad hunc finem, intelligatur pars humani corporis, quæ propriam functionem, sive distinctum ab alijs membris officium

um habet, prout oculus v. g. est ad videndum, auris ad audiendum, manus ad palpandum &c. cuius mutilationis v. g. si quis causa sit physica, vel moralis, irregularis erit, siue iniusta causa sit, siue iusta ex auctoritate publica, ad vindictam criminum, instituta, prout de occisione dictum est, ex defectu scilicet perfectæ lenitatis, vel ex delicto mutilationis iniustæ, cum injure, quoad irregularitatem incurrendam, æquiparentur inter se homicidium & mutilatio membrorum. c. In archiepiscopatu 4. de reprobis, & Clement. uni. junct. Gloss. V. Mutilat. h. 2.

§. II.

An qui membrum debilitat, vel aridum, & inutile mutat, vel abscindit, vel seipsum mutat, fiat irregularis?

Qui membrum aliquod inutile tantum facit ad suas functiones, lædendo v. g. illud, aut aliter vulnerando, absque membri talis abscissione, irregularis non fit, cum aliud sit membrum debilitare, & aliud abscindere, huic est posita in jure irregularitas, non autem illi, prout probari etiam potest ex can. Sicut 47. caus. 1. q. 1. quod si tamen quis abscindat membrum tale sibi, hinc & nunc inutile & plane mortuum, ac carens animâ, non fit quidem talis irregularis, cum hæc abscissio propriè mutilatio non sit, quæ dicit abscissionem membri vivi; irregularis tamen erit, si tale membrum hinc & nunc quidem inutile, & aridum, vitam tamen humanam adhuc habeat, quia verè mutat corpus huma-

num membro aliquo: quoties tamen alium mutilando fit aliquis irregularis, toties etiam fit irregularis seipsum mutilando, imò ad incurrendam irregularitatem sufficit nonnunquam sibi ipsi partem corporis etiam occultam abscidisse, uti patet ex Lib. 1. Decret. Tit. 20.

§. III.

De dispensatione in irregularitate contracta & homicidio, & mutilatione.

Cum homicida iniusto, & indirectè voluntario in irregularitate, quam propterea incurrit, nemo dispensare potest nisi Summus Pontifex, siue publicum illud sit, siue occultum, prout colligitur ex can. Miror. 4. dist. 50. junctâ Glossâ. V. Miror. & expressè statuitur in Trident. sess. 24. c. 6. de reform. & sess. 14. c. 7. de refor. nisi urgeat necessitas ad dispensandum cum occulto homicida. In irregularitate, quæ oritur ex mutilatione voluntaria & illicita, si occulta sit, probabiliter dispensare potest Episcopus, cum facultas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, concessa sit à Concil. Trident. Episcopis, nisi proveniat ex homicidio occulto, cum ergo verba licentiam hanc concedentia universaliter loquantur, & homicidij nomine propriè non intelligatur mutilatio, consequenter restrictio Tridentini non videtur extendenda ad mutilationem, cum verba restringentia verba odiosa strictè sint intelligenda: prout etiam probabile est, quod Episcopus dispensare possit cum homicida occulto, qui non ex proposito & directè intende-

D d d d x

ret